


1012

7363

C 27



102

Copy

ORATIONES DUCALIAE,

PRO CIVITATE
ALTEBRA

INAUGURALIS

CONSULTISSIMI VIRE

ALBERTI COEMAN, SIS

PHYSICIUS & RER. NAT. DOCTORIS, HUIUSCUNDISCIPULUS

ACADEMIAE BRABANTICAE PROFESSORIS

HABITAT BRABANTIA MAIORA A.D. IV. CALEND. JUNI 1679.

Cum legum Professionem publico auspiciantur;

ALTEBRA

BORGHEBRI DE VOORN

BRABANTICUS

IN BRABANTIA VENIT AESTIVUS, CONGE POST BRABANTICAM

REPENTINA MORTUUS ERUPIT.

HABITAT BRABANTIA MAIORA A.D. IV. CALEND. JUNI 1679.

BRABANTICUS

IN BRABANTIA VENIT AESTIVUS, CONGE POST BRABANTICAM

REPENTINA MORTUUS ERUPIT.

HABITAT BRABANTIA MAIORA A.D. IV. CALEND. JUNI 1679.

BRABANTICUS

IN BRABANTIA VENIT AESTIVUS, CONGE POST BRABANTICAM

REPENTINA MORTUUS ERUPIT.

HABITAT BRABANTIA MAIORA A.D. IV. CALEND. JUNI 1679.

BRABANTICUS

IN BRABANTIA VENIT AESTIVUS, CONGE POST BRABANTICAM

REPENTINA MORTUUS ERUPIT.

102

CV

ORATIONES DUÆ,

QUARUM
ALTERA
INAUGURALIS
CONSULTISSIMI VIRI
SIBERTI COEMAN,

Philosophiæ & Juris U. Doctoris, hujusque disciplinæ in
Acad. Lugduno Batava nuper Professoris;

Habita in Auditorio majore a.d. IV. Calend. Julias 1679.

Cum legum Professionem publice auspicaretur ;
ALTERA

BURCHERI DE VOLDER
FUNEBRI

In Obitum hujus Viri Acad. non longe post Inaugurationem
repentina morte erepti,

Habita in eodem Auditorio, a. d. VII. Calend.

Novembr. 1679.

MAATSCH.
NEDERL. LETTERK.
LEIDEN.



LUGD. BATAV.

Apud JACOBUM VOORN. 1679.

ORATIONES DUE ACADEMIAE LUGDUNENSIS

INAGRALES
CONSISTISSIMI VIRI
ACADEMIE LUGDUNENSIS
Pipitologis & Iuris Dogmatis Jurisperitorum
Acad. Lugduno Batavae super Prolego
Habita in Academico mense Aprilia, Capitulo, anno 1620.
Cum legum Professionem publice approbavit
Acad. Lugduno Batavae.

BURCHERI DE VOLDER
EDINBURGH
TYPIS ET SVICIS
M. O. M. 1620
M. B. 1620
Vobis, Amplissimi Proceres,
Relliquias Viri, quem & Academiam & Vobis simul ostensum, simul erectum D. O. M. voluit.
Consilium ejus fuit premere haec ipsa, quæ tamen ut lucem videant
persuaderi mihi passa sum, cum ut aliquod extaret
monumentum apud posteros Professionis & oblatæ & acceptæ, tum quia consiliis plurimorum in
omni genere doctrinæ celebrium Virorum, exi-
stimatorum ad honorem defuncti, quo nihil mihi
carius, & hoc non nihil posse, repugnare meum
non putavi. Nec dubitavi, quin haec ipsa Ve-
stris sub auspiciis cum inchoata & confecta sint,
Illustri Vestro Nomi inscribenda forent. Utinam
licuisset



Viris Illustribus & Amplissimis ACADEMIAE LUGDUNENSIS

CURATORIBUS,
CIVITATIS,
CONSULIBUS,
Quique illis est à Secretis.



n Vobis, AMPLISSIMI PROCERES,
Relliquias Viri, quem & Academiam & Vobis simul ostensum, simul erectum D. O. M. voluit.
Consilium ejus fuit premere haec ipsa, quæ tamen ut lucem videant
persuaderi mihi passa sum, cum ut aliquod extaret
monumentum apud posteros Professionis & oblatæ & acceptæ, tum quia consiliis plurimorum in
omni genere doctrinæ celebrium Virorum, existimatorum ad honorem defuncti, quo nihil mihi
carius, & hoc non nihil posse, repugnare meum
non putavi. Nec dubitavi, quin haec ipsa Ve-
stris sub auspiciis cum inchoata & confecta sint,
Illustri Vestro Nomi inscribenda forent. Utinam
licuisset

MATTH. II

licuisset, non mandari non hæc, sed quæ meditabatur majoris multo & utilitatis & ponderis, Vobis exhibere. Non careret Academia Professore, non ego marito, in quo mihi erant omnia. Verum hanc felicitatem cum fata nobis negaverint, ab æquitate Vestra me non immerito rogare censeo, hæc, quæ sola supersunt & Vestra erga defunctum voluntatis, & grati ipsius erga. Vos animi indicia ut faventibus ea auribus audivistis, ita æquis oculis perlustratis, benevolis animis accipiat. Hoc unicum est, quod à Vobis ea, qua pars est, reverentia obnixe rogar.

Mæstissima defuncti Vidua

SARA COEMAN.



MAGNIFICE RECTOR,

ILLUSTRES ET AMPLISSIMI CURATORES, ET

HUJUS URBIS PROCERES, QUIQUE IIS A
CONSIGLIIS ET SECRETIS ESTIS,

CLARISSIMI PROFESSORES,

VENERANDI PASTORES,

DOCTORES AC MAGISTRI DOCTISSIMI,

OMNIUM ORDINUM VIRI GRAVISSIMI.

Tuque spes Reipublicæ, Nobilissima Studiosorum corona.



I forte quædam à me, auspicante hanc meam legum Professionem, vota expectantur, optatum satis magnum possit videri, si Patriæ, si Academiæ, si singulis, aureos imbres velimi precari. Sed quoniam sine Sapientia cumulatæ opes munera sunt non minus nocitura, quam stolidum Midæ votum, omnia quæ tangeret in aurum convertentis, tales demum auratos imbres exoptare & licet, & expedit, quales Rhodiis Jovem ferunt induluisse, Minervæ nempe nativi-

A

O R A T I O

nativitatem consecutos. Namque id à Poëtis canitur, indicantibus, literarum, disciplinæ, legum, & omnis sapientiæ studio illic nascente & efflorescente, dicitur exoptatissimas, quasi cœlitus delapsas, magnâ simul copiâ affluxisse. Nec optare solum audeo, sed & sperare, si nos Belgæ pio simul & constanti affectu (quod Rhodus superstitioso cultu fecisse dicitur) veræ Minervæ & Sapientiæ sacra religiosissime colamus, fore ut majores etiam affirmiores, quam Rhodiis olim contigerunt, divitias honoresque acquiramus & conservemus. Sed ut voti mei, ac spei, rationem constare appareat, nemo, ut reor, ægre feret, à me glorioſiſſimi & prudenter illius populi memoriam diligentius revocari, præcipue, cum ipsius vires ac decus creverint mari, cui quantum & nos debeamus ignotum non est, cumque ejus sapientia, legum studio, ac maxime navalium, eluxerit, quarum tractatio à me aliena censeri nequit. Cui ergo id consilium non displiceret, mente ac cogitationibus me sequatur, retra petitorum Rhodum, imaginem olim & exemplar Batavorum reipublicæ, ut contemplati Rhodiorum potentiam & gloriam, ipsis eorumque legibus nauticis applaudamus primum, deinde cum iis Batavorum jus maritimum comparemus; idque non anxiorum Historicorum & Criticorum more, ne lente nimis provehatur nostra carina, & forte multa-

I N A U G U R A L O I S.

multarum difficultatum scopulis illidatur; nec more disputantium Jurisperitorum, ne austoris litigii procellis favens popularis aura disspellatur: sed eorum more, qui manifestum student reddere, se patriæ ornandæ, & Juris, cum maritimi, tum universi studio excitando pro viribus incumbete. Vestrum erit, A. O. facilem nobis cursum præbere, & si mihi, cui non robur & triplex æs circa pectus est, committenti primum fragilem meam ratem huic pelago, tranquillo ac sereno vultu arrideatis, timorem illum, qui me initio dicendi solet commovere, & nunc prope conturbat, expelletis.

Rhodus, parva insula, non longe ab Asia minoris littoribus disjuncta jacet, qua Carpathium pelagus cum Lycio confunditur, jam Troïcis temporibus mari potens, & tribus urbibus clara; quibus post Xerxis ex Graciâ discessum quarta est addita, insulæ cognominis, & alte cum reliquarum diminutione excrescens. Ante Alexandri Magni tempora, prout vel Atheniensibus, vel Lacedæmoniis conjunctior Rhodiorum respublica, ita & Populi vel Optimatum regimini propior fuisse videtur; sed tam potens, ut, cum Chiis & Byzantiis, difficile bellum sociale Atheniensibus moverit. Intervim à Mausolo & Artemisiâ oppressa, & conditioni pristinæ restituta, ab Alexandro Magno supra omnes reliquas civitates honorata est, cum ei & gloria

O R A T I O N I

ria purgati à prædonibus maris tribueretur. Post illius mortem, Ptolemæo favens, à Demetrio gravem oppugnationem pertulit, sed pace factâ, libera siveque juris mansit, & gloriâ ac opibus indies magis ac magis crevit. Tum Colossus ille vastæ molis Soli dicatus, duodecim annorum labor, qui post 56. annos terræmotu prostratus, jacens quoque miraculo fuit: quo terræmotu ipsa quoque civitas graviter afflita est, sed tam sapienter usâ hac calamitate, ut vicinorum Regum & amicorum insignem benevolentiam excitaret. Postea cum Romani Græciæ sese, & Asiaribus miscerent iis adhædere Rhodii; & cum plurimum mari pollerent, pro perutili iis præstítâ operâ, magnam Lyciæ & Cariæ partem, & sociorum atque amicorum Populi Romani nomen abstulere. Sed cum in orbe terrarum arbitria belli pacisque agere velle viderentur, & in bello contra Persen simili superbiam Romanos offendissent, à M. Catone defensi sunt, & conservati. Mithridatis vero vim soli prælio maritimo infregere, & deinceps libertatis ac societatis jus recepere. Variâ fortunâ tempore civilium bellorum usi, sub primis Imperatoribus maxime floruerunt & potentia & literis, adeo ut ipsi Julius Cæsar ac M. Cicero ad eos, studiorum causâ, demigrarent. Sub Vespasiano cum cæteris insulis provinciæ conditionem accipiens Rhodus, eam for-

tunam

I N O A U G U R A L I S.

tunam deinceps tulit, quam res & motus Imperatorum dabant. Et quamvis eam, primo à Saracenis occupandam, posteà à Solimanno Turcâ opprimendam, in fatis esset, hunc tamen etiam cepit, postremis potentiaæ suæ temporibus, fructum exultæ justitiæ ac sapientiæ, ut, nauticis legibus toti Imperio Romano datis, æternis laudibus celebretur.

Sed quorsum hæc narratio? nempe ut ad pônderandam causam tantæ ac tam diuturnæ in parvâ insulâ potentiaæ ac gloriæ magis incitemur, atque ita miremur minus totum sese Imperium Romanum legibus Rhodiorum navalibus quasi subjecisse. Causam illam ne in insule & portus quadam opportunitate queramus, que & aliis plurimis ignobilibus locis contigit. Strabo, præter alios, eam indicavit prudentissime: admiranda vero est (inquit, de Rhodo loquens) præclara legum constitutio & observatio, diligensque cura, cum reliquarum Reipublicæ partium, cum maxime rerum navalium, qua factum ut multo tempore mari dominata sit, ac prædones ex eo amoverit, & Romanorum, eorumque qui cum Romanis & Græcis amicitiam coluere, fueris amica; quorum gratiâ & libera mansit, & multis donariis ornari meruit. Nihil vero addit Strabo de legibus Rhodiorum maritimis à Romano Imperio receptis, quia illud post ipsius, id est, post Augusti,

A 3

& pri-

& primi illius Tiberii tempora contigit. Nimisrum leges, earumque usus firmissimum sunt potentia præsidium, intus concordiam firmans, divitiisque quærendis & conservandis viam aperiens & muniens; ab exteris, aut æquitate, aut prudenti armorum vi pacem extorquens. Verum cum mari, quam terrâ, major & paratior omniom rerum conquerendarum copia sit, quibus illud vicinum & apertum est, si sapienter jus maritimum excolant, facili & certâ ad magnam & duraturam potentiam viâ incedunt. Imo & gloria non abest; quocunque enim terrarum naves pertingunt, quæ quidem domesticæ semper potentia speciem, justæ & amabilis, sœcum ferunt, eo permeat illius cum approbatione celebratio. Cumque visa ac cognita virtus mirabiles sui amores exciter non est mirandum, si aliae gentes ac nationes, meliores se leges condituras desperantes, hisce sese patiantur constitutionibus regi.

Hinc igitur illud evenit, ut & sensim tacito usu Rhodiæ navales leges non solum apud Græcos, sed etiam apud Romanos invalescerent, sicut cum aliunde, tum ex *Servii*, *Oflii*, *Labeonis*, *Sabini* sententiis, in Pandectas relatis, videtur patere; atque ut postea, aperte, ab Imperatoribus Tiberio, Claudio, Vespasiano, Trajano, Hadriano, Antonino, Pertinace, & Severo, confirmarentur ita quidem ut jus universum maris lege Rhodiorum nautica jucundetur,

dicitur, in quibus ei legum Romanarum aliqua non adversatur. Cujus rei manifesta documenta sunt, cum ea que sparsim hic illic in veteribus Historicis & legibus reperiuntur, cum præcipue lex illa nota *aʒiawis*, in Pandectas relata ex Volusii Mæcianilis libro, sub titulo, cui nomen datum, de lege Rhodiæ de jaetu, ut & Michaël Attaliata, & Harmenopulus, & illud Auctoritatis exemplar, quod Leunclavius simul cum reliquiis legum Rhodiarum edidit, quibus & subjungit, ex Docimli quodam libro de jure, testimonium. Mirari autem cogor illustre illud responsum Antonini, in memorata lege *aʒiawis*, tot passum esse interpretationes: cum Alciatus, Amaya, Petitus, Seldenius, Salmasius, aliquique acuto ingenio quisque, paucis hisce verbis, quæ Latine fere sic sonant (*ego quidem mundi dominus, lex auctem maris; lege Rhodiorum nauticâ judicetur, in quibus legum nostrarum nulla adversatur*) tot diversas explicationes affinxerint, quas tamen omnes Jacobus Gothofredus repudiavit, simul, quasi pro aris & focis, pugnans, probari ex hac lege, Imperatorem quoque maris esse dominum. Sed si liberet nunc cum Gothofredo in arenam descendere, ante omnia rogarem, quid à facillimo disputatore ultrius posset extorquere, quam, Imperatorem ipsum, subjectus suis dixisse, se etiam in mari dominari. Jam vero hoc totum omitto, non tam ne offendam yestrás

INAUGURALIS.

quæ tantam potentiam & gloriam meruerint. Quanquam & aliud dicendum superest, nempe antiquis temporibus tantam non fuisse rerum maritimarum scientiam, ac ea est, quæ nunc, præcipue Batavia, suo quodam jure potest gloriari. Certe quamvis in istis exercitati ingenii vestigia apparent, esse tamen in nostris nauticis legibus multa arbitror, quæ & nostro tempori, & non angustis maris mediterranei finibus, sed latis vasti Oceani curilibus magis sint accommodata.

Verum enim vero (quæ jam summa est mearum curarum) nondum tales esse leges nostras deprehendo, ut hisce temporibus ad similem Rhodiorum gloriam pertingere aptæ narræ sint, quibus se sub Imperio Romano totus terrarum orbis subjecerat, & sperare nefas arbitror, ut hisce, quas Belgium habet, maritimis legibus nunc certum robur dent pleraque mundi gentes. Si quis tamen illud, dissoluto Imperio Romano, ideo ne perfectissimis quidem legibus sperandum existimet, is perpendat, non favore aut gratiâ Imperatorum id olim factum, sed legum ipsarum majestate & sapientiâ reputetque secum, quam latè superioribus annis Barcinonis, Wisbuyæ, Oleronis, Hanseaticæ, & similes maritimæ leges suas vires extenderint, quæ immane quantum à perfecto legum nauticarum corpore aberant. Namque memorie proditum est, legum

B

qua-

O R A T I O

vestras patientissimas aureis, A. O. quam quod ad institutum hoc meum nullâ rixâ opus est. Consentiant enim omnes hi interpretes, ex Rhodo maritimarum controversiarum decisionem petendam fuisse: Ita quidem, ut si quid sua lege Romani definiverint, non instingatur, sed quantulum hoc fuerit, ex Juris Romani libris potest colligi. Adeo ut certum sit, p[ro]terisque maritimis in rebus Rhodias leges nauticas Romanis ipsis imperavisse.

Quænam igitur hæ potentes & gloriose leges fuerint, si queratur, pene dixerim, ignorari. Reliquæ quidem nonnullæ eārum, à Jurisconsultis Romanis explicatae, in Pandectis, & in Pauli sententiis apparent. Leguntur & illæ leges Rhodiorum nauticæ, quas Leunclavius ex Pithæi Bibliotheca edidit, in Basilica quoque relatæ, quæ meræ eclogæ videntur & excerpta, ab Harmenopulo, ut creditur, collecta: quod quidem pretiosum fragmentum vocat Mornacius, sed incondita farrago Balduino, de lege Rhodia scribenti, visa est; si tamen de eodem scripto loquatur, quod credibile, quia id assimilariis, quæ apud Harmenopulum reperiuntur. Certe si quis has ab ipsis Rhodiis conscriptas velit affirmare, ei opponi posse crediderim, Noticam dialectum in iis non deprehendi, quia tamen Rhodiis sunt usi. Sed quicquid sit, eas quæ nunc exstant, exiguum partem fuisse necesse est illarum legum,

quæ

ORATIONE

quarundam nauticarum collectionem confusam, Asiatico stylo conscriptam, quæ nunc *Consulatus Maris* nomine, Italico idiomate circumfertur, ante quadringentos circiter annos, rotum per Orientem vim & potentiam obtinuisse, circa eadem tempora videntur in urbe *Wisbuya*, quæ olim nobile erat *Gothlandiæ, insula maris Baltici*, emporium, collecta quædam circa navigationem jura, quæ etiamnum, (sed dubito, an incorrupta) exstant; & rursus iis multum similia quedam, quæ *insula Oleronis, sive Uliaris, in sinu Aquitanico sita*, nomen præ se ferunt. Sed quamvis Galli cum Germanis de antiquitate harum duarum collectionum disputatione, vix tamen ipsas examinanti dignæ illo certamine videntur, nisi quia defectu meliorum, hec inconcinnae & paucæ leges tamen tantum valuerunt, ut omnes Oceani accolæ, eo, non tanquam proprio sed velut gentium jure, uterentur. Has quoque magnam partem secutæ *Civitates Hanseaticæ*, primum A. 1521, & postea repetitâ cura A. 1614, jus quoddam maritimuni condere incepérunt, sed non satis serio conatu, aut necessariis auxiliis parum suffulæ.

Quid ergo? nonne jamdudum generosa Batavorum pectora desiderium incendit augendæ ac stabiliendæ per leges maritimæ nostræ potentiae & gloriae? Adeste animis, quotquot & propria, & commu-

INAUGURALIS.

communis nostræ gentis salus tangit, & si quid à me leviter indicetur, id penitus mentibus vestris defigite, & augete meditando. Non est desperandum, non est A. O. si quid ratio & futuri conjectura potest divinare, defectus, qui in nostris nauticis legibus, earumque usu, deprehenduntur, suppleri posse ac perfici, & talem Juris Maritimi artem posse in hisce terris condi, quæ Rhodias cæterasque leges immenso post se spatio relinquat. Adiunt mercatores ætate & rerum usu graves. Adest Judicium & Jurisperitorum copia, à quibus infinitæ maritimæ quæstiones decisæ sunt & disputatae. Quodque caput rei est, offert se, & certum auxilium pollicetur, tot casus, tot maria, tanto temporis tractu, experta Batavorum navigatio; quæ non in sinu solo Oceani, quo Rhodiorum fere naves continebantur, sed qua Sol diem terris ostendit, exercita est, imo & glaciem borealem fregit, quo Sol ipse non potuit sequi. Sed quid? feretis liberam vocem, Auditores? non loquar de meo iudicio. Sed viros ætate, rerum usu, & honore commendabiles dicere memini, non satis apud nos curari res maritimæ, quod si de bellorum maritimus cura verum non deprehendatur, facilius quis de mercatura & legibus concederit.

Quin ergo acriter incumbimus in id studium? & solidam nobis nostram, cum utilitate conjunctam,

O R A T I O I

Etiam, gloriam vindicamus? Quantum per omnes terrarum tractus nomen IMPERATORIS JUSTINIANI non tam, quod armis quosdam populos aut vicevit, aut lacesiverit, sed quod *Corpus hoc Juris*, quo utimur, illius nutu & auspiciis à delectis viris est coagmentatum. Cujus laudes depraedicari, nemo nunc, ut opinor, à me expectat. Sed quantacunque hujus colligati juris sit excellētia & venustas, tamen notare perfacile est, non solum ea quæ de rebus nauticis traduntur, fere ex Rhodiorum fontibus esse hausta, verum etiam nonesse in eo effictam quandam completam, aut certe pleraque complectentem, pleraq; definientem, legum maritimorum compagem. Pace *Triboniani*, ceterorumque juris compilatorum dixerim, nec hoc opus aggressi sunt, nec huic oneri erant pares. Nam & veteres Jurisconsulti, ex quorum scriptis *Digesta* sunt composta, ipsi non multum cum mari habebant commercii, & sortem Populi Romani securi sunt, non mercaturā, sed armis maxime imperium propagantis. Quæque in Codicem relatæ sunt Imperatorum constitutiones, ferme eorundem temporum sunt, ejusdemque conditionis, & certe illo Belgarum immenso & singulari usū caruerunt. Belgis igitur quasi divinitus reservata est gloria excolendi, & ad culmen perducendi juris maritimi. Neque enim ea, quæ hic illuc, post Romanos, tentata sunt à quibusdam

INAUGURALIS.

busdam urbibus aut insulis, eo studio & iis auxiliis suscepta sunt, quæ huic rei perficiendæ erant necessaria. Vidi mus ante de aliis, vidi mus de *Wisbuya*. Hic vero me non parvus dolor commovet. Illud fero, partem juris maritimi, quo utimur, Regis Hispaniarum nomen ferre, quoniam ut à Belgarum tum Principe, atque Belgicis consiliis est conscripta. Sed nos Belgæ, nos Batavi, quantum olim nomen! quantum & nunc, si cetera spectemus! tamen *Wisbuyensibus* nauticis legibus, si non paremus, certe earum majestatem comiter conservamus. Valet auctoritas hujus inconditæ & obsoletæ farraginis non parum apud nos, qui, quominus nostræ leges, & in Balthico mari, & ubique valeant, nobis ipsis desumus. Et quibus gloriari licuit, penes nos esse introitus, atque adeo totius Balthici maris claves, ab illius maris insulæ cuiusdam collapsis manibus jus arcessimus, secundum quod nostræ quodammodo navigationis ratio conformetur. An ergo ita nobis volupe est omnia undique conquirere, ut nec vivendi & mercimonia exercendi modus noster proprius esse possit? Num vero expectare lubet, usque dum à Gallis, quibus literæ & maris studium cordi esse videntur, id fiat, quod nos magis decet, ut ita scientiam nostram, & mercaturam, & quidni ergo etiam libertatem, Gallorum fascibus subjiciamus? Tamen cum thesauri

O R A T I O

omnibus ex regionibus in sinus nostros asportantur, divitias non tam aliis terris, quam industriae nostræ nos debere credimus: nobis igitur, quibus mercandi commoda debemus, etiam ejus rei rationes & vias concedamus.

An vero præterea non animadvertisimus, quam arcte inter se connectantur rerum justa disciplina, atque ingens fructus & utilitas? quid? si quis forte omnium exterarum legum auxilia repudiare malit, an incerto jure cives suos agi ac rapi patietur? nihiline æstimet illam laudem, quam olim Pythius Apollo sibi asseruisse dicitur, se suarum rerum incertos dimittere certos, compotesque consilii, ut ne temere res turbidas tractent. Sane cum manifestum sit, legibus nostris maritimis plurimum deesse, etiam si quis alienorum statutorum auxilia advocet, quæ ipsa cum multa continent absurdia, tum multa omittunt, instabilitatem & perturbationem rerum amare videbitur, qui nostro, quod nunc urgamus, consilio, juris nempe maritimi perficiendi, præfracte obniti velit. Interest civium, interest Reipublicæ, ut cuivis in promptu sit scire, quid suum, quid alienum sit, quid ipse debeat, quid jure possit consequi. Nisi forte quis intelligentia & ratiocinationi tantum tribuendum censeat, ut etiam sine accuratis legibus, si non à privatis, certe à judicibus controversias satis recte definiri existimet.

Ergo

I N A U G U R A L I S.

Ergo vaga & dubia ratio, quæ in singulis hominibus, secundum diversitates ingenii, educationis, institutionis, cupiditatis & affectus, pene diversa est, in judicibus constans erit, & sibi semper similis: quin ergo leges omnes abolemus, & cum hic plane incertus sit eventus, non meliore instituto vivimus, quam veteres Germani, qui novissimo aëla jactu de libertate, & de corpore contendebant. Si excipiatur, controversi juris decisiones à Mercatoribus usu exercitatis posse peti: quis credet, illorum opiniones non fore instabiles & incertissimas? quis nescit, eorum cogitationes sæpe juris jam constituti principiis adversari? cur hoc onus imponeatur, imo hæc quasi levis notæ macula inuretur judicibus, ut ipsi dijudicandis causis constituti, ad mercatores configere habeant necesse? & postquam necessitas multa ignorandi cogit artifices quosdam de iis, quæ facti sunt, rogari, an honestum simul existimati potest, summis quoque judicibus injungi, ut mercatores de jure consulant? Quidni potius horum Mercatorum solertissimi & experientissimi, publica auctoritate, una cum quibusdam ex judicibus & Jureconsultis congregati, suas meditationes in commune conferant, ut uno illo labore, & non magnis sumptibus, omnium maritimum casuum facilis sit decisio. Est profecto tanti singulorum insignis utilitas, & patriæ decus ac splen-

O R A T I O

splendor. Nec moror, si quis obstrepat, hisce quas habemus, imperfectis legibus satis nos hucusque floruisse. Novi Dei Opt. Max. liberalitati ac favori omnia tribuenda esse, qui sapientibus, aut rationes & vias acquirendi negligentibus, ingentes copias & divitias confert. Sed si unicuique manifestum est, solos omni labore & industria vigilantes recte Summi Numinis sibi favorem polliceri; cui non proclive est cogitare, si leges habuissemus meliores, aut majora nos bona possessuros fuisse, aut facilius quædam mala declinaturos. Certe cujusque rei ipsa natura inspicienda est, & quas utilitates conferre apta nata sit. Imo cum Patria, omnium confessione, eo vigore & robore non sit, quo olim fuit, quid magis conveniens est, quam illa præcipue remedia adhiberi, quæ non extrinsecus inanem quandam sanitatis speciem faciant apparere, sed interioribus litium vitio purgatis, vegetoque concordia ac certi juris succo repletis, solidam ac firmam valetudinem præstent. Vocat igitur Belgas pudor, vocat gloria, vocat utilitas, ad componendos Juris Maritimi Pandectas.

Et si tempus ullum fuit id perficiendi, nunc certe est quam commodissimum, quo diro & prope fatali bello liberati, novâ quiete quasi ad excolendas pacis artis vocamur. Hoc faustum omen esto. Ut & alterum in multis eorum, qui nostram Rem publicam

I N A U G U R A L I S.

blicam regunt, & qui Rectoribus sunt à consiliis, elucere insignem justitiae & literarum amorem, qui constanti calore pectora commovens non requiescat ante assertum Belgis, cum per alias vias, tum per pulcherrimas leges maritimum honorem ac robur. Ita quidem ego vaticinor, & jam mente præcipio decus illud, quod per omnes maris tractus Belgico nomini adhæredit. Jam prævideo, quam solida futura sit hæc legitima potentia, quæ non invidiam creabit, ut cæteræ, sed amore nostrarum legum, omnium nobis conciliabit populorum favorem. Jam videre libet illud à tot regibus inaniter petutum Dominium maris; nostra potestas non uno aut altero mari continebitur sed ultra Garamantas sese & Indos extendet. Nec aplustria, aut levia nobis vela demitti, noster erit triumphus, sed leges nostras ab omnibus coli & observari, ipsisque populorum animis nobis submissis vere imperabimus.

Sentio me inflammari A. O. & pene oblitus tenuitatis meæ, aliquam etiam meam opem fuisse pollicitus. E quidem quoties tacitus tecum considero, quam magna de me apud plurimos expectatio concepta videatur, measque ipse debiles vires perscrutor, intremisco. Sed quoniam jam in hunc locum adducti sumus, quem deserere non est integrum, audendum est, ut opinor, & expulso,

C

aut

O R A T I O N I

aut certe moderato timore, omnis cura ad Patriæ
ac studiosorum utilitatem convertenda est. Jura,
quæ de maritimis rebus conscripta sunt, occasione
datâ, interpretabimur, fontesque aperiemus, ex
quibus & perfectiora fluere posse videantur. Ac si
quando omnium, quæ inter privatos intercedere
solent, circa res maritimas, disputationum, princi-
pia uno ambitu complecti licet Argonautatum in-
star, navem quasi ex sylvis in mare deducemus,
oneratam trademus ventis, eamque perpetuo per
tempestates & pericula comitati, rursus subvehe-
mus in portum. Nec alterâ nobis Medea, nec can-
tatis herbis erit opus, nec vellus quoddam aureum
hac navigatione petetur. Legum, rationis, & usus
diligentissima examinatio aderit, & quædam nu-
meris suis prope completae juris maritimi artis &
scientiæ imago merces erit laborum. Occurret in
hoc cursu, & eminebit nobilis ille contractus *As-*
securationis; quidni enim periculorum aversionem
aut communicationem hoc uno vocabulo, usu vo-
lente, appellemus? Hic patebit, quantum Belgica
statuta omnes Bibliothecas (ut Cicero de legibus
12. tabularum loquitur) & auctoritatis pondere, &
utilitatis ubertate superent. Patebit tamen simul,
multa esse in iis prætermissa, quædam ita conscri-
pta, ut adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi
hujus juris gratia, Prætor advocandus videatur.

Lon-

I N A U G U R A L I S.

Longum esset, si de cæteris Juris Maritimi præci-
puis articulis, si de Cambio, quod ex illo efflore-
scit, similibusque explicare differere inciperem.
Hisce ergo in hortis latè spatiabimur, non tantum
ut flores quosdam carparamus, sed ut colligamus ma-
turos fructus; nec itinera tantum monstrabi-
mus, & quasi digitum intendemus ad fonteis, sed
ipsi duces erimus, aut, si vires deficiant, in magnis
voluisse erit satis, aliosque valentiores excitavisse.

Nec ideo minus universum jus sumus pervesti-
gaturi, imo & eo diligentius. Nam id mihi cer-
tum est, omne jus esse inter se connexum & impli-
catum, plenamque justitiae formam animo impres-
sam esse debere, ut de singulis vitæ casibus recte
possit judicari. Cumque plurima, quæ in mari
fiunt ab hominibus similia sint iis, quæ in terrâ,
vera juris fundamenta recte perspecta, quando usui
maritimo jungentur, & virtus rerum ostendent, &
eorum remedia. Sed & præterea omnium mihi le-
gum tractandarum provincia incumbit, in qua ver-
sabor quam libentissime. Et quanquam Advocati
munus, quo hucusque non plane infeliciter videor
functus; non dispicebat, tamen quoniam hæc vi-
vendi ratio ingenio meo, quoniam naturæ meæ
(judicibus amicis meis) maxime conveniens est,
ago gratias SUMMO NUMINI, ago NOBILISSIMIS
DD. CURATORIBUS, qui me, licet non ambientem,

C 2

non

O R A T I O N E

non rogantem, ad hoc munus vocavere. Nam, ut spero, ista Scævolarum & cæterorum beatorum sapientia, licet ut oscitans & dormitans ab Antonio apud Ciceronem derisa, tamen, postquam ad eam confugi, cum Crasso, me in honestam libertatem vindicabit. Quam jucundum erit perpetuum cum Papiniano, cum Ulpiano, cum Paulo, cum cæteris Juris conditoribus consortium? quam explebit desiderium meum, illas continuo vias, quas excellentesissimi ingenii homines muniverunt, ingredi, emetiri, & usibus nostris accommodare? Neque enim dissimulandum censeo, sed potius præ me feren- dum amorem hunc meum, quo non interpretum & commentariorum infructuosam multitudinem, sed ipsos legum perennes fontes complector. Neque me decus & pulchritudo tantummodo eorum, quæ Romano Juris Corpore continentur, pellexit in hunc affectum, sed & usus ipse docuit, legitime hæc à me diligi. Vidi enim & sensi quam sæpissime, cum meam intelligendi dijudicandique facultatem clariore ab his & diviniore luce perfundi, tum judicum animos legibus ipsis promptius & certius acquiescere.

Utinam vobis omnibus idem ardor sit, Studiosa Juventus; imo vero maneat, & si fieri potest, augeatur. Nam amari jam à vobis pretiosam hanc scientiam, Collegarum honoratissimorum summæ

dotes,

I N A U G U R A L I S.

dotes, & vestra erga eos studia mihi persuadent. Sed quoniam ad eos sublevandos ego nunc ascitus sum, novo quodam igne, & singulari juris cognoscendi & rebus aptandi desiderio vos incendi quam maxime expeto. Nec necesse arbitror multis rogarre, ut vestrâ me benevolentâ dignemini; si enim veram juris prudentiam sincero affectu amaveritis, cum videritis hanc mihi unice esse in deliciis, non potero non habere vos studiosos mei. Annitamur ergo junctis viribus omnes, ea quæ de jure prope divine scripta sunt, quam accuratissime perscrutari, ut aliquando & iis, qui auxilio nostro indigent, & patriæ possimus esse usui

Nunc ego (post invocatum Deum, ut semper propitius patriæ, legum studio, & meæ huic Professioni velit favere) si tantum mea vox valeret, aut haberet ponderis, libenter omnes omnium ordinum homines, præcipue eos, quibus tota Respubblica nostra, in aliquâ sui parte, commissa est, obsecrarem atque obtestarer, omnes suas cogitationes & studia eo conferant, ut justitiae sua majestas, & forma integræ semper sint, legesque cum de omnibus, tum de maritimis rebus, optimæ condantur, & excolantur, ut ita, non solum à privatis propriis habeantur tranquille, & augeantur, sed & Respubblica, Rhodiæ premens vestigia, diuturnâ potentiatâ valeat, & legibus suis volentem subiectum vi-

C 3

deat

O R A T I O N I

deat orbem terrarum. Sed forte hæc oris mei soluta
vox debilis est nimis, & ad commovendos animos
tubâ quadam aut buccinâ, & quasi auxiliari carmi-
ne opus est. En adsunt. Nam meus jam fervor in
furorem Poëticum exardescit.

Audiat hoc tellus, quam maxima flumina gratis
Per labuntur aquis, patefacto in Nerea cursu,
Longe collectos simul hic portantia fructus;
Et quæ, comi qui non spernens Numina ponti,
Invitata suas Neptuno credit alnos,
Et sensit benefacta freti, cum linte a fidis
Acta diu venis, repetita per æquora, vasti
In Batavos ferrent mundi patrimonia portus.
Audiat hoc gens nata mari, cui fluctibus aptum
Ingenium, & pelagi placet experientia duri.
Audiat, & memorans per quæ miranda parentum
Creverit, ut totos prope debellarit Iberos,
Ut sæpe Albionum classes depressoerit, ut que
Egerit innumeros per cœrula lata triumphos,
Turpe putet, nihil antiquæ superaddere laudi
Velle, nec his seros titulis augere nepotes,
Æquorei juris perverti ad culmen, & omni,
Nec tamen in vito, leges posuisse profundo.
Postulat hoc priuata salus, & publica, poscit,
Æternas quisquis Belgis exoptat honores.
Ipse pater Rhenus, quoties, grata arva relinquens,
Volvitur in pelagus, respectat, & o mea, clamat,

Ultima

I N A U G U R A L I S.

Ultima terrarum, quam vellem incurrere certis
Fluctibus, & per te justo me credere ponto.
Responsant Nymphæ Nereides. his sua votis
Vota statim miscent; sed & acrior incitat ardor,
Factantque iratas ad Belgica littora voces.
Nulla igitur nostris referetur gratia factis?
Quæ Batavis monstramus iter per inhospita saxa,
Quæ ventos mulcemus, ut his accedat arenis
Quicquid opum præbet vel tarde cognita tellus.
Tam faciles vobis Boream, sævosque sodales,
Virgineum cognoscite opus. Sed flamina justa
Ut cursent norma, quæ rara potentia vobis
Sorte data est, cur non curatis? an usque manebit
Torpor, & haud prudens lucri, stabilisve cupido?
Credite. Diua Themis regni pretendere fines
Festinat, plenosque in lato marmore cultus.
Hæc, Belgas languere videns, irata recederet,
Atque alios ponenda mari sua jura docebit.
Nos simul urgebunt Themidos, propriique labores,
Ingratas, sine jure, rates, illidere saxis,
Aut non lucrosos illis concedere cursus.
Sed quoniam placida invitant nos otia pacis
Ad studia, & quoniam Patriæ Rectoribus ingens
Ardor inest ad pulchra vocans, Academia felix
His curata viris, quis docto in pectore Pallas
Tota viget, Themidisque ac Gentis gloria cordi est,
Varicinor non vana; novo decorabimus ipsas

Divitiae

201 R AUTO NI

Divitias aquo, & Batavo moderante carinam,
In sanctis Astræa redux spatiabitur undis.
Appaudent populi, & Divæ piathura ferendo,
Tangetur grato Batavorum nomen odore.
Suspiciens fontem, clari quo flumina juris
In mare decurrunt. Duras Rhodos ipsa Catenas
Concutiens: hac grata mea solatia sorti,
Dicet, conatus ad summum ascendere nostros.
Belga, Deo dilecte vale, terraque mariisque
Semper amor, sic non erit invidiosa potestas
Vestra, nec injusto sacra gens violabere bello.



MAGNIFICE RECIOR

BURCHERI DE VOLDER

ORATIO FUNEBRIS

In Obitum

Consultissimi Viri

SIBERTI COEMAN

Philosophiæ & U. Juris Doctoris
hujusque in Acad. Lugduno Batava
Professoris.

Habita in Auditorio majori a. d. vii. Calend.

Novemb. 1679.

BURGHERRI DE VOLDE
ORATIO
FUNEBRIS

SIBERITI COMAN

Prologus II. Interlocutio II. Interlocutio II.

Habita 1. b. 4. c. 1. d. 1. e. 1. f. 1. g. 1. h. 1. i. 1. j. 1. k. 1. l. 1. m. 1. n. 1. o. 1. p. 1. q. 1. r. 1. s. 1. t. 1. u. 1. v. 1. w. 1. x. 1. y. 1. z. 1.

MAGNIFICE RECTOR,
AMPLISSIMI REIP. LUGD. BATAVÆ CONSUL,
JUDICES, SENATORES, QUIQUE IHS ESTIS
A CONSILIIS ET SECRETIS
MAKAPITOT NOSTRI AFFINIS, CONSAN-
GUINEI, AMICI MOESTISSIMI.
PROFESSORES CELEBERRIMI, COLLEGÆ
HONORANDI.
FACUNDISSIMI VERBI DIVINI PRÆCONES.
DOCTORES QUARUMCUNQUE DISCIPLINA-
RUM CLARISSIMI.
QUOTQUOT ADESTIS,
VIRI HONORATI,

*Tu denique Studio sa Juventuris corona, spes Patriæ,
delictæ nostræ.*



Erpetuas rerum humanarum vi-
cissitudines, Nihil ne temporis
quidem puncto in terris stabile,
in continuo fluxu versari omnia,
& in sola inconstantia constan-
tissimum Naturæ ordinem, nemo
nostrum non agnoscit. Quam vana sint hominum
consilia in longitudinem præsertim exponre, &
quam inanes magnæ de futuro cogitationes, &
quam sœpenumero à destinatione nostra dejicia.

ORATIONE

mur longissime in ore est omni populo. Nescio tamen quo fato fiat, ut hæc ipsa quæ ante omnium oculos posita quotidiano usu habemus compertissima, quæ summa omnium assensione & ipsimet deprædicamus frequenter, & ab aliis deprædicari intelligimus præterfluant quasi mentem, eamque placido, nec fluctus illos, multo minus procellam commovente cursu præterlabantur. Nulla dies est, quæ non variam exhibeat hominum sortem. Hunc de summo honoris & dignitatis gradu dejici, illum humili ex loco assurgere. Morbis, doloribus, ægritudinibus, omni calamitatum & miseriarum genere, nunc hos nunc illos affligi, morte alios lentiore duci, alios repentina præcipitari mundi hocce Theatrum singulis tantum non momentis ostentat. Quotusquisque tamen quæso est qui ad hæc attendat? qui eadem illa, quæ cæteros pati securus videt, nullo non tempore sibi imminentia vere ad animum revocet? Quanquam enim mens nostra suam hoc in genere desipientiam facile deprehendit, quanquam clare perspicit ratio, nec se nec suos ullo proprio jure uti, sed communis omnium eorum, quos quotidie efferriri videt, non tamen in eo commovetur animus, nisi tum demum, ubi hæc ipsa mala subitaneo præsertim impetu, charissima nobis pectora invadentia mentem quasi ex profundo sopore excitatam ad tristissimam suæ

catas

30

sortis

FUNERARIIS.

sortis contemplationem convertunt. Tum demum ex animo deflere solemus quasi nunc primum cognitam miseram humani generis conditio nem. Tum demum spei nostræ ineptias incusare, & fortunæ alia & alia continenter molientis voluntatem, lachrymis, gemitu, suspitiis prosequi. Huic rei, qua nulla est inter homines familiarior, ut vere fatear, affine quid passus sum in acerbissimo exitu Charissimi mihi amici SIBERTI COEMAN, in ipso ætatis flore, in rerum agendarum principio intempestiva morte nobis erepti. Noram equidem manuæ non secus ac omnia in potentissima Dei manu esse. Noram nullius cujuscunque etiam sive ætatis sive ordinis vitam vel temporis momento in tuto collocatam. Noram nihil tam firmis positum fundamentis, quod non leve momentum concutiat, imo prorsus destruat. Quæ cuti nossem, non potui tamen, quin vana indulgens spei ex nupero hujus ad hanc Academiam adventu multos Academæ ingenii & eruditioñis, multos mihi & solidos & duraturos amicitiae benevolentiaeque fructus pollicerer. Exspectabam siquidem ab ipso, quæcunque ex alterius humanitate, candore, ingenio, doctrina, suavissimo denique consortio jucundissima accidere homini possunt. Et jure certe merito exspectabam, si à prima pueritia mihi perspectos ejus mores ingenua urbanitate & lepore conditos, ex-

31
D 3

cellentes

F U N E B R I D S.

O R A T I O

cellentes ingenii dotes, & quod hanc ad rem maximum est, amoris in me spectarem magnitudinem. Mihi ab altera parte nihil erat deliberatus, quam omni cultus & observantiae genere amorem huncce demererit, ipsiusque in me officiis, quæ semper novi fuisse paratissima, niti ut paribus responderem. Quæ quidem ego grata animi cogitatione cum volverem, ecce ex improviso D. O. M. Virum hunc ab Uxore, Liberis, Academia, Affiliis, Amicis, me denique avulsu, sibi redditum voluit, unoque hoc istu jucundissimas illas cogitationes meas in tristes & ductuosa mutavit. Neque vero mihi, hoc in retum stanti, quidquam aut expectandum aut faciendum restare videtur, quam cum illis officiis, quibus Vivum mihi prosequendum destinaram nullus nunc sit locus id certe, quod unice reliquum est, honoris defuncti ut p^ræstem, quod Amicu*rum* quæ inter nos atteneris fuit causa, injunctum mihi voluit. AMPL. SEN. ACAD. nostri ut vitam, ut mores, ut studia, ut res gestas patris, (habet enim Vitaminime inquieta, & nimium, proh dolor, cito abrupta actus haud multos) vobis enarrarem. Resarciet forte amoris mei abundantia quod in celebrandis Viri laudibus mihi deest à facundia. Sin minus, id certe faciet ut testata in publico nostram amicitiam relinquat, simulque si dicendi tenuitate quod lubens agnosco,

scō, summis ejus dōtibus oratione exequiāndis par non sim, quoniam amote inductus hoc officium suscepī, & à mœstissimis quos hic p^ræsentēs video consanguineis, & à vobis etiam ceteris meis auditōribus veniam facilis impetrem. Quam ut ab exequitate vestra mihi denegatum non iri confido, sic ab eadem omnino expectandum censeo, ut qua benevolentia frequenes ostendistis. Vos defunctorum si longiorem vitam fata concessissent, prosecuturos fuisse, eadem me Vobis exponentem, quanto Viro orbati sitis, hac horula prosequamini.

Non ignobilem patriam, honestos parentes non in minima felicitatis habendo, parte, multi & clari Viri censuere. Quorum utrumque ^{ad manas} benigna sat manu largita Fortuna est. Amstelodamum celeberrimum illud Totius Europæ, imo orbis Terrarum emporium, Mercurii Musarumque p^ræclarum domicilium, ex antiqua & honestissima illic familia nobis hunc civem dedit. Avus nostri Conradus Henricides Vir summa animi quibuscunque etiam in fortunæ casibus tranquillitate, quietam ad extremum usque 90. annorum senectutem vitam protraxit. Uxorem habuit Corneliam Caeman, à qua posteri, hujus cum patens virili careceret sobole, cognomen sumfere, Joannis Janssonii Coemanni Filiam. Fuit nostri hic proavus numerosa, sed sequioris sexus felix prole, ex quibus plures vel

O R A T I O

vel cognitione, vel affinitate sibi junctos vidi noster Reip. Amstelod. & olim & nunc Coss. judices, variis gestis honoribus, & præfectoris Indicorum societatum insignes, vidi & plures Divini Verbi multis in locis fidelissimos præcones. Ex hujus Viri Filia *Conradus Henricides* filios duos, tres filias suscepit, in eo præcipue felix, quod & hosce Matrimonio junctos & ex iis Nepotes & Proneptes florentibus in rebus viderit. Hujus filius *Joannes Coene Coeman* defuncti pater, Mercaturæ à parentibus destinatus primi statim sub adolescencia Hispaniam adiit, sedemque annum & sex menses linguae noscendæ ergo Malacæ fixit. Dein cum suam & fidem & sagacitatem facile civibus probaret suis à multis eorum certatim electus fuit, qui rerum ipsorum curam illis in oris gereret. Hujus rei causa Mare Mediterraneum trajecit, adjacentia ei oppida *Tunetum, Venetias, Sardiniae* etiam *Promontoria* invisit. Post ad nobiliora Gallici regni transit Emporia, summa sedulitate omnia solertissimi Mercatoris implens Munia. Hinc tardius Patriam revisens, tardius quoque de conjugie sibi prospicere potuit. Qua re factum ut annos jam natus 34. uxorem demum sibi asciverit *Joannam Siberti filiam*, cuius Pater circum oppida, quæ *Mosa* alluit strenue Mercaturam faciebat. Hisce ex parentibus præter duos filios, quorum alterum

F U N I E T B R I S.

alterum adhucdum puerum, alterum spectatæ pie-tatis juvenem circa annum ætatis secundum & tricesimum mors abstulit, & unicam filiam, quæ juvencula admodum decepit, Natus est *o manae cims*, qui unice hucusque superstes parenti jam octuagenario majori ultimos luctus commovet. Quæ quidem omnia enarrō strictius, non quod in iis non agnoscam multa, quæ ad dignitatem faciant familiæ, sed quod me ad se trahat defunctus, de quo tot mihi dicenda video illi soli debita, ut quæ externa, quæ gentis, quæ fortunæ sunt, molli brachio cogar percurrere.

Natus itaque noster est a. d. xvii. Calend. Jul. anni 1643. insigni parentum gaudio, quod non mediocriter auxit, cum mox ipsa in infantia singularis ingenii solertiæve plurima daret indicia, quæ & parentes, hunc studiis ut addicerent, impulerunt. Latine ut sciret effectum est opera *Adriani Junii* ludi apud Amstelodamenses litterarii quondam moderatoris; Viri ut in litterarum palæstra exercitatiissimi, sic ad id ipsum nati, ut insigni veræ eruditio-nis, & solidæ sapientiæ amore inflammatos juvenum animos superioribus imbuendos traderet disciplinis. Ad quas cum perventum esset sollicitus admodum de recto studiorum tramite, filii amantissimus simul & prudentissimus pater, non quod vitium plerorumque est parentium, nimia festina-

E

tione

O R A T I O

tione spes suas præcipitandas ratus, juvenis animum liuetis humanioribus, & Philosophia studiis non leviter tingi, sed penitus imbui voluit. Quo quidem ipso tempore mutua inter nos benevolentiae & nunquam intermorituræ amicitiæ communis ex studiorum genere firmissima jacta esse fundamenta, & nunc mihi gratulor. Versabamur siquidem iisdem in studiis, utebamur iisdem præceptoribus Viris Clarissimis Arnoldo Senguerio Collegæ mei Senguerii parente, Philosophia Amstelodami Professore Primario, nunc ~~in ariis~~, & Alexander de Bie Mathesin ibidem tunc temporis, nunc & Philosophiam profidente. Horum ductu Mathematicas disciplinas cum Philosophicis copulavit, neque separandas eas scientias censuit, quas & ratio, & rerum conjunxit Natura, Philosophorum sola disjunxit ignorantia. Præterquam enim quod is esset, qui nullam sibi studiorum negligendam partem censeret, facile sibi persuaderi passus est, Mathematicas scientias, licet primo aspectu non tantum videantur spondere fructuum, habere tandem in recessu quamplurima ad Viræsum, ad rationis rectæ regimen, ad Veritatis inquisitionem utilissima. Non enumerabo, quod facile possem, Mathematicarum rerum plurimas omnino non contemnendas utilitates: prætermittam absque ha- rum usu eximiā rerum Physicarum notitiam ha- biturum

F U N E B A R R O I S.

biturum neminem: Nec adducam harum disciplinarum neglectu in tenebris & squallore multos annos Philosophiam jacuisse: Id unum addam, quod nemo diffitebitur, nihil quibuscumque etiam in negotiis judicii robore esse præstantius: Nihil certo veri & falsi indicio pretiosius: Nihil denique mentis in dignoscenda Veritate exercitatione omnes ad res præclarious. Ad quæ nobis vel comparanda vel corroboranda certe, plurimum momenti afferre artium harum inquisitionem, vel perfunctorie eas contemplanti, & certas earundem demonstrationes cum aliarum, nisi Geometrico ritu tractentur, quod nostro demum cœptum est sæculo, incertis plerumque conjecturis conferenti, planum erit. Glorientur vulgo de Dialectices præstantia, audiat illa unica veri falsive disceptatrix & judex; certe Mathesis quæ re præstat, quod Verbo Dialectica promittit, suam sibi gloriam apud rerum peritos præripi non patietur. Hæc nempe ea est, non quæ nunquam cessaturis gaudet contentionibus, quæ innumeras controversias controversiis accumulat, sed quæ per rectam rationis & scientiæ nos ducendo semitam ipso usu monstrat veram veritatis inquirendæ & cognoscendæ viam; frequenti docet experientia, quæ hæc optime cognoscuntur, claras distinctasque de rebus formare notiones, unicam illam certi incertive normam.

MORTATIO

Hisce sive rationibus adductus , sive amicorum consilia secutus , sive suo ad scientias capessendas ardore motus, utraque disciplina, aut, ut verius loquar, utroque unius disciplinæ membro mente in suam non perfunditorie expolivit. Quia in re ea usus est sedulitate, ut quæ vix ante plenam omnino ætatem assequuntur etiam docti, illa prætextatus adhucdum præstiterit puer. Septimum decimum quippe ætatis annum nondum explerat, quin quicquid in Conicis Apollonius , quicquid Pappus , quicquid antiquorum Mathematicorum facile Principe Archimedes litteris prodidisset, perspectum & intellectum habuerit. Hisce si addas insignem quam posuit operam in Philosophorum scriptis, in Scholasticorum voluminibus, & dein, cum hæc tenere altiora & solidiora spirans ingenium nequerent, in pervolvendis Albæzeni, Vitellionis , Baldi, Ubaldi, Galilæi, Gassendi, Kepleri, & innumeris tum Veterum tum recentiorum monumentis, admiraberis summopere indefessam hanc in tam tenella ætate diligentiam ; stupebis mentis immensum robur, quo adolescentiam nondum ingressus tantis & tam operosis negotiis sufficerit. Quibus tamen omnibus non ita exhaustæ fuere nostri Vires , quin & Anatomes adjecerit cognitionem , turpe sibi arbitratus omnium corporum Naturam dum scrutaretur, sui si negligeret notitiam. His in studiis , cum

ultra

FUNERARIIS.

ultra triennium elaborasset sedulo cupido hominem incessit, Philosophica laurea condecorari se ut gestiret. Quam in sententiam & me & alterum sodalem nostrum eodem in stadio currentem , qui nuper Amstelodami Praxin feliciter exercens Medicam diem suum obiit, suo & exemplo &hortatu adduxit. Nos igitur terni hac de causa Ultrajectinam adire Academiam. In qua primum insolitam omnibus in solennibus exercitiis soleritatem demonstrando magnam sui admirationem commovit, & dein in ipso promotionis actu industriam suam omni omnium exspectatione majorem comprobavit. Non enim, ut vulgares solent animæ publica Oratione tralatitia multa de laudibus suæ discipline concessit, verum hanc cramben excessus, & majora sapiens magno, si hanc ætatem spectes, ausu id egit, ut intima rerum Philosophicarum penetralia penitus excutiendo, admirabili judicii & ingenii dexteritate, inumeros, quos in iis deprehenderat, Philosophorum nævos, inanes argutiolas, de rebus nihili contentiones, λογοπαχίας, verborum fôrdes & barbariem, & id genus ineptiarum plurima salse nec festive minus irriserit. Solidæ autem, & certæ veritatis, quæ nugaces illas contentiones quibus plurimi nimium delectantur, procul à se abesse jubet, dignitatem & splendorem ea Majestate proposuerit, ut hic ejus sermo & vanæ Philosophiae

E 3

Sophia

F U N E B R I O S.

O R A T I O

sophiæ sectatoribus pudorem incutere, & veræ cupidos summo ejus amore incendere potuerit. Quibus rebus effecit, ut nullum tunc temporis apud Ultrajectinos celebrius nomen fuerit COEMANNI. Ut hunc non solum tanquam in Philosophicis versatissimum, sed insuper à Natura factum Oratorem omnes admirarentur, suspicerent & jamjam ad maxima quæque destinarent.

Sacris hisce rite peractis non torpori, non desidiae se dedit, verum eo actius instigari sensit animum ad abditissima quæque solerti indagine pervestiganda. Erat noster, eramus omnes Peripateticæ Philosophiæ imbuti principiis, nisi quod in *Physicis*, ex Galilæo, Gassendo & id genus scriptis nonnihil Verioris & Mechanicæ rationis degustaramus. Summum illud sæculi nostri lumen, illustrem Mechanicæ Philosophiæ propagatorem, Renatum Cartesium videramus nondum, nisi id vidisse est, quæ non intelligas perlegisse. Hujus Viri, circa ea præsertim quæ Deum & mentem spectant, scrutandis dogmatis totum se dedit, amica hac in parte usus opera Clar. de Bruyn *Physices & Mathefios* dignissimi ibidem Professoris. Cui eo nomine plurimum debet noster, & me debere profitebor, dum spiritus hos reget artus. Ex hoc præter faciem scopi Auctoris interpretationem primum hau sit non perfundatoria lectione evolvenda esse hujus

Viri

Viri monumenta, sed attenta meditatione perlustranda, neque quemquam, nisi qui cum eo serio meditari voluerit, mentem ejus perspicere, veritatemque detegere ulla ratione posse. Quam viam ingressi, & per litteras, aberam enim ego, de progressibus nostris communicantes, sensim animadvertisimus majori, quam hactenus experti essemus, nos Veritatis luce perfundi, mentis dispelli tenebras, & habere nos in nobis met ipsiis, modo dotibus à Deo concessis rite utamur sufficientem circa has res Veritatis scaturiginem. In rebus *Physicis* non eam invenimus difficultatem, utpote ad quas recentiorum scripta nobis perlecta aditum jam fecissent. Jamdudum enim *Formis substantialibus, Qualitatibus realibus* & id genus figmentis nuncium miseramus, quo promptius Mechanicam Philosophandi rationem amplectemur. Quam sane in *Physicis*, ut & priorem ex intimis mentis haustam penetralibus in *Metaphysicis* unicam esse viam, qua veritas detegi potest, asseverare nullus dubito. Quæ & sua perspicuitate sibi viam fecit apud Anglos, Gallosque, & faciet porro, ubi cunque liberior spirat aura.

Absolutis hisce Juris studium impigre aggressus Amstelodami primum Joannem Christenum, & dein Leydae Celeberrimos Antecelsores summa cum assiduitate audivit. Memini saepius laudantem nostrum Cons. Colonii operam, qui sibi

O R A T I O

sibi in digestis interpretandis fori simul dedisset gustum. Cui etiam Viro sua industria ita placuit, ut eum hinc discessum parantem, nullis præmiis, quæ Vir ille habebat à se alienissima, sed solo ejus amore inductus maximo studioretinere, & telam Praxeos jam inchoatam suis sub auspiciis porro pertexere ut vellet obsecrare propemodum non dubitaverit. Sed res nostri aliter ferebant. In jure vero ita versatus est, hic dum fuit, ut ei non sufficerit Imperatoris mentem assequi, nisi una opera & qua niteretur Lex, rationem cognitam haberet. Prudenter etenim secum reputabat, interesse quidem omnino Reip. Civium ut fortunæ non hujus illiusve fallaci nonnunquam ratiocinio, sed certo statutoque jure nitantur, interesse tamen etiam sua, ut intimius in legum rationem & originem inquireret, ratus jus, quod rationi non consentit, verbo quidem jus, re meram injuriam esse. Et sane quid quæso absque ratione jurisprudentia præter memoriam variarum, quas de diversis in jure rebus habuere Jureconsulti, opinionum? Aut quonam quis pacto cuicunque casuum lege non definitorum varietati jura applicabit, aut legum etiam defectus restituet, uno verbo Jureconsulti munere fungetur, qui Veras Juris causas, Originem, rationes animo complexus non fuerit? In eo siquidem consistit Vera illa & non simulata Philosophia, quam jure merito

F U N E B R I S.

merito tantopere deprædicat *Ulpianus*. In hisce autem dum elaboraret non minus tamen indefatigabili labore incomparabilem *Gronovium* (quem adhucdum luget Academia & lugeret acerbius nisi in Filio reviviscentem gauderet se videre Patrem) de Historiis litterisque differentem & publice & privatim audire voluit. Norat etenim quantum ad usum vitæ momenti, quantum ad Juris decreta penitus intelligenda adjumenti præbere possit Historia. Norat quid gratiae venustatisque, imo quid auctoritatis & robotis haberet casta & pura oratio. Hac mente ita se dedit *Gronovio*, ut unice historias colere, ita se juri, ut solis juris præceptis addiscendis vacare videretur. Hoc nimirum vallet indefessa vigilancia summo cum ingenii vigore conjuncta, ut quæ plerorumque Vires vel singula exsuperant, ea tamen copulata nostri Viribus non suffecerint. Neque enim cuncta hæc, quanquam maxima sedulitate singula persequeretur, ita eum tenuerunt occupatum, quin frequenter ad amoenissimos Musarum fontes, quibus summopere capiebatur, deflexerit. Quanti moliminis, quantæ difficultatis sit in Poësi quidquam posse, vel ex eoliquet, quod singula vix sæcula singulos orbi litterato Poëtas donent. Quo mirere impensius vere mirabilem in nostro ingenii temperiem, qua & abditissima queque & longe deductis ratiociniis nixa non

F

minus

O R A T I O

minus penetrare, quam in rebus minus quidē seriis,
singularis tamen genii indigis, maxima cum laude
versari potuit. Et sane, qui considerat certas rerum
Mathematicarū, ut has unice adducam, scientias ab
omni falsitate fictione remotissimas, & dein Poē-
sios, cuius tota ars in ingeniosa sollertia fictione
est, advertit indolem, stupebit, nisi fallor, summum
hocce rerum discrimen obicem non posuisse, quo
minus utraque hæc summe laudabilia rarum in
modum unum in ingenium confuxerint: stupebit
illam indolis ad quælibet & percipienda & effi-
cienda promptitudinem, qua, ubi opus, imaginatio-
ni fictionibusque indulgeret, & dein, ubi res jube-
ret, solido firmoque judicio rerum abstrusissimatum
veritatem dignoscere potuit. Rara profecto feli-
citate. Cujus tamen compotem fuisse *τηναρείτικος*
testantur in utroque genere scripta, quæ pluri-
ma affecta, nonnulla elaborata reliquit. Gravi-
siquidem & ornata oratione in ea Philosophiæ
parte, quæ divina attingit, res explicuit à vulgi
captu remotissimas. Moralem Philosophiam in
certas rededit classes, multaque ejus partes sane
quam non jejune tractavit, quæ sibi aut summum
amicis, non publico scripta voluit, certissima lima-
tissimi judicii testimonia. Cujus quæ in forensi ope-
ra luculentissima dederit indicia jam prætermitto.
Neque pauciora extant Poëtici genii non vulgaria
docu-

F U N E B R I S.

documenta vario sermone *Latino, Gallico, Vernacu-
lo* conscripta, quo dubium relinquere amicis, qui-
bus hæc videre contigit, Oratorne vehementior, an
Poëta venustior, Philosophus subtilior, an Jurecon-
sultus esset solidior, suane, an Gallica, an Latina
lingua uteretur peritus. Ipse ego inter *Καιμηλια*
~~asservo~~ nostri quædam poëmita, prima licet in
adolescentia, cum vicesimum nondum explesset
annum, confecta, cedro tamen dignissima. Extat
præterea virilis ætatis carmen Belgico conscriptum
sermone, de *Abrahami Sacrificio*, in quo elegantissi-
me verioris ex Philosophiæ fontibus Divini nu-
minis præsentiam, Majestatem, justitiam & beni-
gnitatem gravi, & quæ materiam deceret oratione
celebravit. Hæc erant ejus à studiis avocamenta.
Hæ animi recreaciones. In hisce ejus quies, quæ
magnis etiam Viris summa fuere negotia. Delas-
satus ab opere non ille genio, non ludicris exerci-
tiis, non comestationibus indulgere, sed lassitudi-
nem hoc illove studiorum genere contractam alio
labore excutere. Sed Leydam redeo. Qua ille
discedens *Utrechtum* repetiit eo animo, ut, procul
ab amicis dum degeret, iis, quæ acceperat meditan-
dis consummandisque totus vacaret. Privatim nul-
lo præceptore usus est. Publice perorantes *Grævium*
audivit & *Cyprianum*. *Utrechtum* relinquens mense
Octobri anni 1664. Galliam sibi videndam cen-
suit,

O R A T I O

stuit, non quod forte multis in more est, peregrinationem captans, quo apud exteris tutius & excusatius peccaret, sed ut eorum consuetudine suos mores expoliret, & ut in omnibus non æque excellit omnis gens, quidquid externis in moribus præcipuum adverteret suos in usus transferret. Acta quippe illic ei vita est, ut pravarum libidinum prorsus expers, sic innocentium voluptatum admodum parca. *Aureliae Novembri mense in utroque Jure summos honores & petiit & magno suo merito obtinuit Parisios reversus frequens privatim in studiis, frequens in supremo Galliae foro, frequens in Doctorum in Theologicis præsertim Virorum colloquiis.* Vere anni 1665. exente Patriam revisit. Neque tamen illico se foro dedit, sed Hagæ annum & sex menses causas orantibus se addixit, ita tamen ut non nunquam quid & ipse hoc in genere posset experiretur. Ex hoc sibi exemplum capiant ii, qui vix insperato Juris Codice, vix obiter delibatis retum summis, in forum dum provolant, magno Clientium damno imperitiæ inde turpe reportant testimonium. Hujus, inquam, exemplo discant non illotis hæc sacra tractanda manibus, sed omni litterarum cultu expolitum, & consummata juris cognitione instruëtissimum animum foro demum habilem esse, si & Clientibus subsidio, & sibi immortali

F U N T E A B Y R O I S.

tali futurus sit gloriæ. *Amstelodamum tandem redux causis cognoscendis agendisque incubuit.* Nec confedit, quin illico Celeberrimis illic Jureconsultis in delitiis esset. Neque enim poterat tanta virtus & sermonis facundia & morum venustate gravior conspici, quin mox omnium bonorum in se amorem eliceret. Statim hujus fores ingens Clientium turba pulsare, opem & consilium implorare cœpit, quibus ea inserviit prudentia, fide, integritate, ut ab iisdem obsequium & reverentiam, ab æqualibus admirationem & amorem, à judicibus deniq; summā de se reportarit existimationem. Sæpe equidē nec sine voluptate me audisse memini, tum eos qui Magistratu fungerentur, tum qui in eodem sese exercerent foro, una voce de prædicantes, elucere hoc in Viro profundam juris scientiam, incredibili diligentia, fide, æquitate, eloquentia stipatam. Id sane res ipsa docuit, id omnium voces testantur, id Judices, id Advocati, id omne genus hominum, id ipsum forum clamat, in celeberrimo Amstelodamensi emporio, immensaque illic Jureconsultorum turba, in forensi exercitatione, nostrum suæ ætatis parem habuisse neminem. Hæc quidem publice. Privatim *Juri Nautico* præsertim constituendo consummandoque operam navavit. Quam juris partem elucubrandam sibi eo sumsis alacrius, quod eam Hollandia nostra

O R A T I O

proprio quasi jure sibi merito vendicare videtur. Universum hocce certo jam ordine disposuerat, variisque ejus partes Latino sermone mira tractavit elegantia, qui liber magna sui parte mutilus, dignissimus alioquin qui lucem videat, inter reliqua ejus scripta jacet. Quæ quidem omnia ut honorificentissima, sic & operosissima, non ita tamen *mane* nostrum penitus foro & juri astrictum implicitumque habuere, quin frequenter altioribus se dederit meditationibus. Vastus ille Juris Oceanus, frequentilima Clientium turba, non capere, certe non tenere magnitudinem animi, quin identidem terrenarum cogitationum satur majora & homine digniora, & ex quibus æternam speraret felicitatem, cogitaverit. Fuit enim in eo ab ipsa pueritia singularis pietas, qua sacris adhibere mentem ardebat animus. Hoc præstitit Leydæ, hoc in secessu suo Ultrajecti. Mecum enim hic audivit, multorum hodie amoribus, multorum odiis, solenni excellentium Virorum fato, jactatissimum Virum, in rebus certe Theologicis vel adversariorum calculo maximum Joannem Coccejum Novum Fœdus innumerabili discipulorum catervæ exponentem. Ultrajecti multus fuit in legendis sacris, ea quidem *ante*, quam ab homine aliis studiis dedito vix exspectares, ut singula tantum non verba sollicitus expenderit, ratus divinis in scriptis nullum esse apicem, in quo

non

F U N E B R I S.

non scitu dignum quidpiam lateret, simul secum reputans ipsis ex fontibus omnis Theologiae purius ad nos fluere cœlestem veritatem, quam ex innumeris Theologorum interpretamentis. Nec ab hoc instituto alienus fuit, dum in Gallico versaretur itinere. Nam *Parisis* cum degeret, acerbissima, quæ tunc forte fuit, hyeme absterrei non potuit, quin antelucanas quotidie horas sacris litteris evolvendis, & controversiis, quæ inter Pontificios & Reformatos agitantur, expendendis impenderit. Quæ cum adolescentis egerit, cum itineris molestia non dereliquerit, quid censetis eum effecisse jam Virum, jam in Patria placide fixo hærente domilio? Quidquid erat à foro laxamenti, quidquid temporis vel Clientibus vel Amicis vel sibi etiam subripere poterat, id rebus Theologicis dare; nostri autem memoriae cum firmius inhærerent ex interpretationum delitiæ, quas à *Coccejo* hauserat, hujus Viri scripta curioso oculo perlustrare coepit. Ex quibus omnibus eam sibi rei Theologicæ conflavit peritiam, ut non modo, quæ scire quemvis Christianum decet, perspecta habuerit, sed & profundius in mysteria Fidei inquisierit, Prophetarum vaticinia sedulo pensitaverit, Controversias non omnis generis, sed quæ ad salutem pondus habere videbantur discusserit, imo eum sese præstiterit, ut post breve cum nostro habitum colloquium summa

O R A T I O

macum admiratione ab eo decessisse norim *Celeberr.*
Academiæ nostra Theologum Wittichium. Quo rerum divinarum amore flagrans in Græcas litteras, quibus jam olim non contemnendam operam in Academiis dederat, incubuit alacrius, iisque Hebraicas consocians effecit, ne hujus quoque linguae imperitior multo esset, quam qui ea docti habentur. Ardori quippe suo quo in sacra ferebatur tum demum satis factum iri autumabat, si Deum sua lingua loquentem audire liceret. Hisce dum studet & maturam conjugio ætatem suam, (27. enim jam natus erat annos) & certum vitæ genus sibi propositum cerneret, ad conjugem sibi diligendam animum adjunxit, studiorum censens tædia, litigantium rixas, & quidquid in vita molestiarum est nulla melius arte quam Uxoriis blanditiis animo abstergeri. Voti hinc factus compos anno 1670. a. d. xix. Calend. Februari. Uxorem duxit, si vel ætatem (paucis enim mensibus erat minor) vel generis honestatem, vel fortunas, vel denique, quod omnia hæc longissime exsuperat, probatissimos mores spectes, Leetissimam Virginem *Saram de Moor.* Habuit illa avum *Jacobum de Moor,* Aviam *Elisabetham Ruysschenberg,* honestissimos quondam Antwerpia Cives, qui inde, experti infandam illam calamitatem, qua præclara illa Belgii Civitas & ab Hispanis & à Gallis misere sæpius exercita

fuit,

F U N E B R I S.

fait, in Hollandiam profugi Dordraci lares posuere. Ex septem horum liberis unus *Bernardus de Moor,* insigni fide & integritate apud Amstelodamenses Mercator, Uxorem sibi elegit *Claram van Capelle.* Nativitatem illa suam debebat Roco Pr. F. van Capelle, insigni itidem Mercatore, & *Catharina Jacobi F.* ex quorum sat copiosa liberorum multitudine unicus superstes vivit filius, Avunculus nostri Viduæ, *Nicolaus Roci F. van Capelle Senatoria & judicis dignitate, & societatis Indiæ Orientalis Præfectura* in urbe Patria illustris. Horum filia *Clara* inter cæteros *Bernardo* peperit *Saram de Moor,* quæ ut nunc Mæstissimam Viduam, sic læto quondam illi partu sæpius fecundam matrem. Suscepit enim noster ex hac præter duo filium filiamque, qui lucis auras non aspexere, sex liberos, omnes, si ab uno Filio discesseris, puellas, è quarum numero tres *Clara, Joanna Catharina, Anna Elisabetha* superstites, quo minus patrem lu-geant, ætas efficit.

Hac thori recreatus felicitate, & ad majora molie-
da excitatus animus nunquam non in opere versari;
amicis consilio, prudentia, ipso sui exemplo præsto
esse; nulli opem suā imploranti denegare, nisi causæ
vetaretur in justitia, imo hisce in negotiis se præstare
eum, optimo jure ut omnibus foro videretur major.
Cujus rei fama in obscuro esse ita non potuit, quin

G

nuper

O R A T I O

nuper ad Ampl. Acad. Proceres delata eos moverit, primum ut anxie inquirerent; dein cum exspectatione omni ampliora ingenii & eruditionis minime fucata undequaque acciperent testimonia, ut Honestus ad Acad. *Begelio* evocandum cernerent. Ne autem repugnaret noster, stationemque, ex qua jure omnia sibi polliceri poterat maxima, deserere ut vellet, effecit vita à jurgiis rixisque alienæ quietior in Acad. ratio, ipsius animo quam maxime consentiens. Abeuntem eximio benevolentia specimine prosecuti sunt Amstelodamenses proceres, Senatus consulto facto, quo eum Acad. operam dum daret, civium suorum numero non eximi declararunt. Inauguralem pro more Orationem habuit a. d. iv. Calend. Julias; de qua quid ego Vobis dicam? Quid rerum pondus, quid elocutionis nitorem, quid Carminum Majestatem, quid actionis deprædicem gravitatem? Audivisti etenim Aud. & adhucdum, nisi fallor, dulcis illius perorantis sonus suavissima modulatione Vestras æque ac meas aures demulceret. Vidi ego, vidi omnium vestrum intentas mentes, Ora in hunc unum defixa, dum Cygnea ille cantione sua animos Vestros deliniret, dum suum in Vos studium & amorem exponeret, dum universi juris insignem periitiam suam aperiret, Nautici defectus ostenderet, dum in tantæ rei perfectionem & Proceres incita-

ret

F U N E B R I S.

ret & suam etiam modeste operam polliceretur, & vel hoc ipso singularem in Patriam, in Hollandiam nostram amorem declararet. Audivi omnium Vestrum omni sermone disertius silentium, magnæ admirationis indicium. Audivi Vestrum omnium applausus gaudientium non in aliena Terra, sed Batavo sub sole genitum & educatum eum, qui & res sciret præclarissimas, & easdem maximo Orationis lumine illustrare posset. Orationem exceperat Feriae, quibus vix elapsis gestire animus prodire in publicum, immenso suæ eruditionis Thesauro studiosorum inservire commodis, & consummatisma studia in Acad. proferre. Cum ecce triduo ante destinatum ipsi recitationibus publicis diem Amstelodamo, quam citato gradu Urbem petere in Parentem senem & morbo affectum Pietas jusserrat, reducem corripuit febris, quæ & ejus & nostrum omnium rationes conturbavit misere. Febris fuit continua in singulos dies exacerbationibus admodum molesta. Mox ille in ipso statim morbi initio Deum respicere, ad eum sua vota dirigere, Animæ, si quid forte secius de vita statutum foret, consulere, testatus, eum in statum ubi se colloccarat, ac si extrema quæque ipsum manerent, quietiore animo se mortem prospicere, Deum & Divinam gloriam exspectare. Prima morbi hebdomas alto laxata, sanguine missa, sudoribus saxe motis

G 2

utcun-

O R A T I O

ut cunque fuit tolerabilis. Octava luce ad vesperam somno exspectus, horret animus, febris subito ingruentis vehementia in furorem conjectus est homo mitissimus & placidissimus. Quo tamen ipso in furore, attendite quæso quid non possit constans in pietate vitæ ratio, nil præter Deum & Divina spirabat, omnis ejus de Deo sermo, perpetuæ ad Deum preces. Quo in statu tristissimam exegit noctem. Medici pessima omnia ominantes, furori ut occurrerent, venam iterum secari jusserunt. Quietus ut cunque fuit postmodum. Verum spem incidebant collapsæ morbo Vires, quis decimæ diei Paroxysmus ita prostravit, ut pulsus vermiculantem sudores comitarentur frigidi, certissima instantis mortis præfigia. Prætermiseram propemodum, quod tamen prætermittendum nequaquam est, nostrum, dum, ut sit tali in statu, nunc hæc nunc illa congereret & saepius rem inceptam intermitteret, nullibi fixum teneri potuisse, nisi in sermonibus de Deo, de æterna salute. Videres ex illorum auditione recreatam mentem, & aliquantis per ad se quasi redeuntem tali alloquio molestiis levatam. Adfui & adfuisse me gaudeo, cum jam morti proximum moneret affinis, deficere humanas opes, omnem in Deo spem collocandam. Cui noster intenta voce, ita se rem habere respondit, & ne qui videti possint hæc verba

F U N E B R I S.

ba Delirii fuisse, mox subjunxit voces omni memoria dignissimas, *In Deo omnis mea perpetuo fuit fiducia, & adhucdum est.* Tam insignis est constantis pietatis efficacia; tanta vis in Mente Deum vere litiente, ut vehementissimi delirii impetus infringere, claustra, quibus corporis consortio vincita tenetur, perrumpere, nec dubiis sese foras prodere indicis potis sit. Hisce cum corporis malis ad horam usque matutinam septimam diei Jovis, qui fuit a. d. 1 v. Calend. Ottob. conflicta mens, ut proculdubio maximo suo gaudio, sic omnium amicorum ineffabili mœrore, silentio astantibus indicto, conversa ad Deum, ipsis in precibus corpus, quod secum 36 annos circumduxerat, exanime deseruit, & ad Deum, quem unice deperibat, abiit.

Itane ergo, charissimum mihi caput, nos miseros hic destituis? Itane nos jucundissimo tuo conspectu, suavissimo alloquio, prudentissimis consiliis oībatos derelinquis? Hancine ob causam tot exantlaveras labores, tot te molestiis defatigaras, ut in medio pulcherrimæ vitæ cursu, quidquid iis tibi compararas sapientiæ, eruditio- nisque, à nobis auferres? Dolueram diu nos animo conjunctissimos, ita tamen nostris rebus fenantibus, corpore disjunctos vivere. Hoc me dolore levarat nupera tui ad Acad. vocatio; Nunc nec opinato redit ille idem & redit multo acerbior,

O R A T I O

bior, tuo illo, & omni reditu carente discessu. In te mihi incredibilis exemplar proposueram diligentiae, sedulitatis. A te mihi pollicebar, quidquid à summo amore in quenquam proficisci potest. Hisce tot & tantis repente privatus bonis dolore miser obstupesco.

Ignoscite quæso, mæstissimi & ~~mane~~^{mar} affines, consanguinei, ignoscite, si nimio, justissimo tamen mœrore abreptus meos potius, quam Vestros luctus lugere videar. Neque forte hoc ipsum à ratione alienum putabis nimis. Quanquam enim sanguinis affinitatisque vinculis vobis facile cedam, amicitia profecto, qua nihil in terris præclarius, nihil sanctius, nulli facile cesserim. Is ego fui, qui à prima pueritia arctissimo consentientium voluntatum nodo defuncto astrictus fui; qui in mutuo hocce amore magnam felicitatis partem posui; quem ille consiliorum suorum, ut ego illum meorum, plurimis in rebus participem habui; à quo multa benevolentiae signa sæpius hausebam, plura expectabam. Hac dulci spe, hac jucundissima exspectatione dejectus, nihil inihi ex tot rebus charissimis restare video, præter acerbam earundem memoriam. Novi equidem præter hæc omnia, quæ mihi Vobiscum fuere communia, Vos præcipue lugere domesticos Vobis luctus. Caret mæstissimus senex charissimo illo pingore,

F U N E B R I S.

gnore, quod tot cūfis enutritum, tot laboribus efformatum ad id eruditionis & honoris culmen pervenisse & gaudebat & mirabatur, in quo uno superstitio omne solamen senectutis, omnia vitæ gaudia habebat deposita. Caret marito Vidua, quem ineffabili amore prosequebatur. Caret hoc ipso in squallore, cum maxime eo opus est, mariti nunquam non alias præsenti solatio. Unicum illud suum amisit in adversis auxilium, in secundis delestantum; verum quid ego res secundas dico? quarum nomen simul cum re amisit. Carent liberi sollicita parentis institutione, carent iis præceptis quæ ad veram virtutem eos duxissent. Horum curam omnem in se rejectam luget parens superstes, lugent affines. Auget dolorem nuperus hic adventus & ex eo repentina nimis discessio. Effusissimæ gratulationes in commiserationis & doloris testationes conversæ; Gaudia subito immutata nescio quem mœrori addunt aculeum. Cui & cumulus, ut minima quævis tristem per se angere vehementius solent animum, accessit ex eo, quod multorum ex proximis morbo hæc justa, quæ si & mea, & Vesta valuisse voluntas, jamdudum peracta forent, nunc demum peragantur, & hoc sibi debito honore hucusque caruerit defunctus. Verum quid ego & Vestros & meos luctus exagito? Quid crudo & sanguinem adhucdum funden-

ti

ORATIO

ti vulneri unguem admoveo? quasi sine harum
rerum tristi commemoratione non gravis satis no-
ster esset dolor. Præstabit nos met ipsos ad solatia,
aut doloris sane lenimenta convertamus, quæ si ulla
in morte, in hac certe sunt maxima. Maritum, Fi-
lium, Affinem, Consanguineum amisisti. Sed
non tam cogitate quælo Vos hunc amisisse, quam
cœlo reddidisse. Ejus Prudentiam, Consilia, Hu-
manitatem, amorem, & cæteras denique præclarissi-
mas ejus dotes desideratis; sed an Vos fugit obsecro
has ipsas virtutes ut à Deo profluxere, sic ad eun-
dem postlimii jure reversas? Spes Vestras, Spes
Acad. Spes Juventutis morte Viri longiore vita
dignissimi eversas tristi mente contemplamini.
Sed profecto solari vel hoc ipsum Vos possit, Eum
fuisse ~~o manacis~~, qui spes tantas, tantam sui ex-
spectationem & commovere & implere potuerit.
Neque immatura mors videri potest ejus, qui hac
jam ætate ea peregerit, quæ plurimi ne senes qui-
dem, quique, vitam si non annorum numero, sed
rerum maximarum metiamur cognitione, humani-
tatis terminos expleverit, si non excesserit. Et sa-
nne nonne satis diu in rebus humanis fuit is, qui, cæ-
teras ut taceam virtutes, solidam Pietatem, qua
omnia continentur, à Deo natus est? qui nunc
eadem illa ad Deum cœctus inter cœlestes animas
cœlestem vitam degit? Sed interim Vos hic jacetis
~~sqix~~
soli

FUNEBRIS.

soli, Caret marito Uxor, Filio Parens, Parente
Filiæ. Quid itaque? Reminiscimini hoc in re-
rum statu salubrium monitorum, quibus sèpius
uti solebat ~~o manacis~~; Permittendum esse supremo
expendere Numini, quid ~~arrantibus~~ ~~o ipso~~

Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.

Fixo animo tenendum sapientissimum res nostras
gubernare Deum, eaque semper esse optima, quæ
eveniunt. Neminem esse, qui in terrenis Vera
bona à malis secernere, qui quid profit, quid no-
ceat, justa queat ratione dignoscere. Id unice o-
randum, in hoc uno summam votorum collocan-
dam esse, secundum sanctissimam & sapientissi-
mam Dei voluntatem ut fiant omnia, quam illum
vocem tristissima illa, cuius non sine horrore re-
miniscor, delirii nocte identidem ex intimo cor-
dis affectu ingeminantem audivistis. Hæc & quæ
in hunc sensum plura nunquam non inculcare
solebat Vir sapientissimus, si in memoriam revo-
cetis, Vestros luctus non quidem extinguent,
quod in tanto & tam recenti vulnere sperandum
non est, lenient tamen & comminuent. Vos au-
tem, Nobilissimi Juvenes, qui Juri operam addi-
xistis, agnoscite in hujus Viri obitu, Vestros
etiam casus. Imo vero eos Vos agnoscere jam
ostendistis, cum summa frequentia privatam vi-
ventis opem rogasti, summo desiderio publicam

H

expé-
ndi

O R A T I O

exspectastis. Habuissetis in eo animum Vestris
commodis devotissimum, cui nihil fuisset anti-
quius, quam veram Vobis ad eruditionem viam
monstrare, juris, qua pollebat, peritiam impi-
gro labore acquisitam omnibus modis Vobis in-
stillare, & quod maximum est, incredibili diligen-
tiae & temperantiae exemplo Vobis praetere. Qua-
lis autem in docendo fuisset, ipsa statim primor-
dia declarassent. Audivissetis praefationis vice,
diserta oratione, summo argumentorum ponde-
re, refutantem Hobpii principia, quibus ad om-
nia scelera Natura factum hominem, eademque,
qua meditatur, ab aliis sibi metuentem singit. O-
stendisset contra Juris, æqui bonique principia,
non ex externo à sceleribus patratis deducenda
metu, sed ex rationis rectæ repetenda fontibus.
Hanc velle docuisset ad perfectissimum, quan-
tum in nobis est, Dei exemplar, ad sanctissimam
Divinæ voluntatis normam, componenda esse
nostra omnia. Facile autem Divina attributa con-
templanti liquere, eam ejus voluntatem esse, qua
benignissimæ, justissimæque Naturæ respondeat.
Ad quam si advertamus mentem, cognituros nos,
non sceleribus, non crudibus, non cuiusvis gene-
ris maleficiis, Dei nos Naturam moribus exprime-
re, sed honesta vita, Neminem lœdendo, &
suum cuique tribuendo, quæ prima sunt Juris fun-
damenta.

F U N E B R I S.

damenta. Hoc ex specimine intellexissetis opinor
hunc non diserte minus quam solide jura vobis in-
terpretaturum fuisse, & quid in iis innata in no-
bis valeat ratio demonstraturum. Hæc autem
nunc omnia cum ipso jacent. Sed non jaceat in
nobis gratissima hujus Viri memoria, non excidat
animis ea virtus, ea vis ingenii & facundiæ, quæ
justissimam vivo peperit venerationem. Hoc uni-
cum est, quo dignas ei grates pro propenso in
nos, in studia animo referre queamus. De cæte-
ro Deum Opt. Max. precemur, hocce damnum
quod Uxori, quod liberis, quod Amicis, quod
Acad. quod Juris studio, hujus obitu inflatum
est, resarcire non dignetur. Uxorem, Liberos,
Amicos ope & solatio juvet, Academiæ, & Ju-
ris in ea studiosis successore, sed Academia, sed
defuncto dignissimo prospiciat.



H A N D B A K E

quibus, Hoc est preceptum meum in regnante obitu
patri, non quod tu in vita ducatur, sed quod
restituatur in morte, & ducatur in resurrectione.
Pis 23:4, 1 Cor 15:20, 2 Cor 5:10, 1 Thes 4:14
hunc omnis genitudo habet, sed non necessari
super beatitudinem futuram, sed secundum
secundum etiam, ea si ergo sunt & locutus
imperium a deo populi auctoritatem, Hoc autem
cum ergo deo dicitur ei fratres fratres sed
nos, ut fructus simus, hanc est doctrina, 1 Cor 15:10
et Deuter. Obit. Max. p. 122. postea transiunt
deum Christi, deo Christi, deo Amoris, deo
Aeterni, deo Iustitiae, deo Spiritu sancti in gloriam
et, rectificare non habemus, Hoc est fratres fratres
amicos oboe & latrone, hanc est vita nostra, & a
tis in eternum, intercessione, sed secundum 1 Cor 15:10
ad finem gratia patribus obicitur

you
-n't
-on
true
at is
sobis
cup
-inu
ar of
-eis
men
harp
mell
con
-y
the